



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

II. Quia est Advocata apud Deum pro mundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

super errantes pia gestans viscera & facie visa Salvatoris supra quam dici queat tremenda, haud facile explicaverim. At inter lachrymas Sororibus advenientibus dixit. Cavete, ô Sorores dilectissimæ à criminibus nè fortè horrenda nimirum Salvatoris irati facies vos apprehendat. Heu! quantum terroris mortalibus pariet irati Dei immortalis Christi maximi aspectus! Quid quæso acturi sunt criminosi in die tremenda judicij? Ah Domine Deus custodi nos ac dirige ut in novissimo magni judicij die audire mereamur: Venite benedicti Patris mei. Noli rogaverim nostrorù scelerum impietatem attendere. *Hæc Veronica.* Paria vidisse se asserit Virgo solennijs Purificationis B. Virginis.

## 2. Quia est Advocata apud Deum pro mundo.

*S. Bernard. serm. de Nativit. Virg.* hominem alloquitur. Ad Patrem verebaris accedere solo auditu territus, ad Filium fugiebas. Jesum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud Patrem talis Filius obtinebit? exaudietur utique pro reverentia sua, Pater enim diligit Filium. At verò trepidas & ipsum? Frater tuus, & caro tua est, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi Fratrem Maria dedis, sed forsitan & in ipso majestatem vereare Divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis apud ipsum? Ad Mariam recurte. Et *serm. 1. de Assumpt.* Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater misericors, simpliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractaret.

In quo autem consistat officium Advocati, explicat *S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 19.* Undè etiam illam sapientem probat Advocatam. Sapientia Advocati, & eloquentia manifestatur ex tribus; scilicet quòd obtineat apud justum & sapientem Judicem 2do. Contra adversarium sagacem & astutum protegat. 3tio. Quòd in causa desperata vincat. Sed Virgo Advocata nostra obtinuit apud sapientissimum, & justum Judicem Deum, contra astutissimum adversarium diabolum in causa desperatissima inter Deum, & hominem, in qua nullus hominum qui eam præcesserat loqui audebat. Hanc etiam prudentiam Advocatæ nostræ prædicat *Richard. à S. Lawr. lib. 2. p. 1.* Tam prudens & discreta est Advocata Maria, quòd non potest Filius vindicare eos pro quibus ipsa allegat.

Quod significatur in facto Abigail, *Reg. 15.* quæ avertit iram à *Nabal* subtilitate verborum suorum, qui *Nabal* significat peccatorem, tamen postea interfectus est *Nabal*, quia noluit emendari. *Jdiota contempl. de B. Virg.* potentiam ejus probat. Ipsa est Thesauraria gratiarum ipsarum. Cæteri Sancti jure quodam Patrocinij pro quibusdam sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia cælesti, quam pro alienis; B. Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic etiam omni-

nam Advocata est, & Patrona, & cura illi est de omnibus, & sic nemo est qui se abscondat à calore ejus: id est à charitate, & dilectione ipsius.

Et huc fortè respexit *Dionys. Carthus. enarrat. de Concept. Virg.* Virgo est generis humani Advocata, pietatis Regina, cui Deus Regnum misericordiæ commisit dicitur. Ex titulo verò Advocatæ videtur *S. Bonav. in 3. distinct. part. 7. art. 1. q. 1.* deducere ejus exemptionem à macula originali. Congruerat Advocatæ humani generis, ut nullum haberet peccatum.

Sed redeamus ad Advocationem. *S. Thom. de Villa nova serm. 3. de Nativitate Virginis.* Filius ostendit Patri latus, & vulnera, Mater ostendit Filio pectus & ubera, unde facta est idonea Advocata, idonea quia purissima.

Recurrit ad hanc communem Advocatam *S. August. serm. 2. de Annunc. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto famineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam commemorationem.*

Fufius hanc Virginis advocaturam describit *Arnoldus Carnot.* Abbas Bonæ Vallis B. Bernardi discipulus *tract. de laudibus B. V.* Securum accessum habet jam homo ad Deum ubi Mediatorem causæ suæ habet Filium ante Patrem, & Matrem ante Filium. Christus nudato latere Patri ostendit vulnera, Mater pectus & ubera. *Sapientissimus Idiota in Prologo contempl.* Inventâ Virgine Mariâ, invenitur omne bonum; ipsa namque diligit diligentes se, imò sibi fervientibus servit, ipsa super benedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat servos suos & amatores suos. Tanta quoque est ejus benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere, tantaq; misericordia, quòd ab ea nemo repellatur, imò donis & charismatibus ædificat servos suos, ut super benedicti Filij sui fiat digna habitatio, ipsa preces, & sacrificia servorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur repræsentat in aspectu Divinæ Majestatis, quia est Advocata nostra apud Filium, Filius apud Patrem, imò apud Patrem, & Filium procurat negotia, & petitiones nostras, & sæpe quos justitia Filij potest damnare, misericordia Matris liberat, quia Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius, donis spiritualibus ditat copiosissimè fervientes sibi, & potentissimè protegit illos à triplici adversario, mundo, carne, & diabolo, quia salus nostra in illius manu est.

Hinc fortè *S. Bonav. in laudib.* vocat illam Columbam paciferam. *Et diurn. Græc. cap. 7.* Altrix vitæ nostræ, & Exculatrix culparum dicitur. Et *Bonav. in Ave,* & rursus *in psalt. min.* Finis iræ Dei. *In psalt. maj.* Auxiliatrix salutis nostræ. *Euthymius orat. de zona B. V.* Patrocinium Christianorum. *Hymnus Græc. apud Buteonem p. 138.* Patronam mundi puram, & inculpatam. *Gregorius Nicomediensis orat. de oblat. B. V.* Patrona vitæ nostræ & auxiliij nobis necessarij. *Jrenaus lib. 5. cap. 19.* Advocatam Evæ.

EVA. Profitebatur Advocatam Franciscus Seraphicus de quo scribit *S. Bonav.* in *ejus vita cap. 9.* In Matre Domini post Christum præcipue fidens, eam sui, ac omnium Advocatam constituit. Profiteatur & nostrum unusquisque & cum *Jdota cap. 1.* affectu tenero illam precetur. Trahe me post te, ô Benedicta Virgo, ut pervenire mihi ad te augeatur celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum Filium super benedictum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodam modo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tu tuis sanctissimis precibus traxeris eum.

### 3. Quia mediat inter Deum & mundum.

Fidelis planè & potens Mediatrix Dei, & hominum Christus, inquit *Bernard.* *serm. 1. de verbis Apoc.* Sed Divinam in eo reverentur homines potestatem: Deus noster ignis consumens est, quidni vereatur peccator accedere, nè quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? opus est Mediatrix ad Mediatorem Deum, nec alia nobis utilior quàm Maria, quid ad Mariam accedere trepidam humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. *Bonavent.* in *Spec. cap. 5.* Maria fidelissima Mediatrix salutis veluti fidelissima columba inter fidelissimum Noe, & mundum diluvio submersum. Eva autem velut corvus in diluvio infidelissima fuit mediatrix perditionis. *Antipater Bostrensis* sic Angelicum Ave gratulata plena *serm. de S. Joan. Bapt.* Ave quæ tuo primo Parenti exhibes defensorem, ave quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum, ave quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem & Divinitatem. Indè *S. Anastas. Sinaita. lib. 6. hexam.* Adhortor Judæum & Græcum, seu gentilem ut quærat, & possideat Mariam Adjutricem, quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum. Et *pauli post.* Adjutricem quæ parit filios vitæ & hæredes vitæ æternæ; Adjutricem quæ Magos fecit Apostolos, & facit Publicanos Evangelistas, redditque meretrices Virgine honestiores. *S. Ephrem tom. 3. de laudib. Virg.* ita Virginem salutat. Ave mundi Mediatrix gloriosissima, ave mundi salus, ave universi terrarum orbis Conciliatrix.

Ad hanc nos ducit *S. Damasc. orat. Hippat.* Mariam in Patronam ac Mediatricem assumamus, & certæ Adjutricis loco habeamus. Jam dicamus cum *Basilio Seleuco.* Ave inter Deum & hominem Mediatrix intercedens. Quia ut *Arnoldus Carnotensis Abbas Bonæ Vallis Discipulus S. Bern. in tract. de laud. B. V.* Securum accessum jam habet homo ad Deum, ut Mediatorem causæ suæ, Filium habet ante Patrem, & Matrem ante Filium, Christus nudato latere ostendit Patri latus & vulnera, Maria pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi occurrunt & perorant omnia linguâ disertius hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia.